

✠ PRIMA REGULA EST DE SPIRITU SANCTO LOQUENDI SPIRITUS SANCTUS CREATOR EST SICUT PATER ET VERBUM; TESTANTE PROPHETA SPIRITUS DOMINI FECIT ME ET INSPIRACULUM OMNIPOTENTIS VIVIFICAVIT ME; In nomine Patris et individue sancte trinitatis. Ego Riccardus dei gratia francorum comiti. Concedo et trado tibi gualterio abbati de cenovio sancti laurentii. hoc est unam ecclesiam monasteriorum cenovii. vocabulo sancti archangeli terraczani que in partibus neapoli est foras cripta situm in monte qui est desuper amne qui vocatur anglane. ut tu ibidem abbas fieri debeatis cunctis diebus vite tue. Ideo concessimus et tradidimus tibi predicto monasterio vocabulo sancti archangeli michaeli. per remedium animarum nostrarum vel parentorum meorum cum omnibus ovedientiis suis quoscunque in monasterio illo habere et pertinere videtur. quantos et quales sunt. sive in terra vel in insulis maris. simul cum hominibus et censitis suis de intus et foris et casis suis cum omnibus suis pertinentiis. et cellis seu hortas. et cum omnibus casalibus et terris cultis et incultis. longinquis et propinquis. etiam et terris de ligurianam terram pertinentes ex ipso monasterio. Iterum montibus atque vallis. pascuis. et olivetis. seu castanietibus. silvis et palustris. et piscatione vel auces. quamque cum omnibus ospitibus suis. vel commenditis atque fundatis vivorum et mortuorum ipsorum fundoras et terris. una cum omnem illorum censora et regulis seu responsatica. et salutis et angariis et cum omnibus iacentibus et pertinentibus eis. simul cum omnibus servis et ancillis suis. seu defisi de intus et foris. et cum

✠ LA PRIMA REGOLA E' PARLARE DELLO SPIRITO SANTO. LO SPIRITO SANTO E' CREATORE COME IL PADRE ED IL VERBO. CON LA TESTIMONIANZA DEL PROFETA LO SPIRITO DEL SIGNORE MI CREO' E MI VIVIFICO' COME SCINTILLA DELL'ONNIPOTENTE. Nel nome del Padre e della santa indivisibile Trinità. Io Riccardo, per grazia di Dio conte dei Franchi, concedo e consegno a te Gualterio abate del cenobio di san Lorenzo, una chiesa monastero cenobiale con il nome di sant'Arcangelo **terraczani** che è dalle parti di **neapoli** davanti alla grotta posta sul monte che è sopra il fiume chiamato **anglane**, affinché tu ivi debba essere abate per tutti i giorni della tua vita. Pertanto abbiamo concesso e consegnato a te il predetto monastero con il nome del santo Arcangelo Michele per la salvezza delle anime nostre o dei nostri genitori con tutte le sue obbedienze qualunque risulti avere ed essere di pertinenza di quel monastero, quante e quali sono sia in terra o su isole del mare, unitamente agli uomini e ai suoi censiti di dentro e fuori e con le sue capanne e con tutte le sue pertinenze e celle e orti e con tutti i casali e le terre coltivate e non coltivate, lontane e vicine, ed anche le terra del territorio **ligurianam** appartenenti allo stesso monastero, parimenti i monti e le valli, i pascoli e gli oliveti e i castagneti, i boschi e le paludi, e i diritti di pesca o gli uccelli ed anche con tutti i suoi hospites o commenditi e con i fondi dei vivi e dei morti degli stessi fondi e delle stesse terre, insieme con tutti i loro tributi e canoni e i responsatici, e i doni e le angarie e con tutte le cose che esistono e appartengono ed essi, con tutti i suoi servi e serve e defisi di dentro e fuori, e con tutti i beni mobili dello stesso monastero, beni mobili

omnibus movilibus ipsius monasterii rebus movilium et immovilium. seseque habentibus omnibusque ei pertinentibus et cum omnia que ibi offerata fuerit in omnibus undecumque aut quomodocumque tibi denique abbate gualterio et tuis posteris rectores ex ipso monasterio sint potestate. cum codicibus et ornamentis suis. et cum introitas suas et omnibus eis pertinentibus. integro a nobis prefato riccardo comiti. tibi et tuis posteris siat concessum et traditum. et numquam a nobis vel a posteris nostros sive de quacumque nostris militibus habeatis aliquando qualibet contraria per nullum modum. sed in omnibus adiutor et defensor nos et posteros nostros qui in nostro honoris regimine adesse videtur adiutores et defensores debemus fieri de ex ipso monasterio cum omnibus que superius scripta sunt. in omnibus et per omnia. et si qualibet homo presumserit in ipso monasterio aliquod malis facere vel aliquid de suis rebus per vim tollere anathematizatus sit ab omnipotentis deo. et componatur in ipso monasterio aureos solidos centum. quia sic a me constitutum est. Hec preceptum scriptum est. ab incarnatione domini anno millesimo quinquagesimo quinto. romani imperii monarchia tertio henrico post obitum domini leoni pape menses duo. residente me Riccardo comite ligurie campanie dominate eius dominatus anno quarto, sub pridie kalendas iunii. indictione septima. Huius autem privilegii textum. petrus R. noster epistolarius nostro iussum scripsit. et ut firmus et intemeratus. in eternum servetur. nostro sigillo signavimus.

✠ Ego riccardus comes subscripsi ✠

e immobili e tutte le cose che vi siano e siano a loro pertinenti, e con tutte le cose che ivi fossero offerte, in tutto da ogni parte o in qualsiasi modo in te dunque abbate Gualterio e nei tuoi successori rettori dello stesso monastero sia la potestà, con i suoi codici e ornamenti e con i suoi ingressi e tutte le cose a loro pertinenti, integralmente da noi predetto conte Riccardo sia concesso e consegnato a te e ai tuoi posteri. E giammai da noi o dai nostri posteri o da qualsiasi dei nostri soldati abbiate in qualsiasi tempo qualsivoglia contrasto in nessun modo anzi in tutto soccorritori e difensori noi e i nostri posteri che risulteranno essere nell'onore della nostra carica, soccorritori e difensori dobbiamo essere del monastero con tutte le cose che sopra sono scritte, in tutto e per ogni cosa. E se qualsiasi uomo osasse fare del male allo stesso monastero o togliere con la forza qualcosa delle sue cose sia scomunicato da Dio onnipotente e paghi come ammenda allo stesso monastero cento solidi aurei poiché così è stato da me stabilito. Questo precetto è stato scritto nell'anno millesimo cinquantesimo quinto (→ quarto) dall'incarnazione del Signore, nel terzo anno di Enrico monarca dell'impero romano, due mesi dopo la morte di domino Leone Papa, residente me Riccardo conte della **liguria** e della **campania** nel quarto anno della di lui dominazione, nel giorno precedente le Calende di giugno (A), settima indizione. Il testo di questo nostro privilegio poi Pietro R. nostro segretario per nostro comando scrisse e affinché si conservi per sempre fermo e inviolato lo abbiamo contrassegnato con il nostro sigillo.

✠ Io conte Riccardo sottoscrissi. ✠

Note:

(1) Huic diplomati Richardi Aversani Comitis tum Carolus Franchius in sua elucubratione, cui titulus: *Dissertazione Istorico-legale sull'antichità, sito, ed ampiezza della nostra Liburia*, tum Alexander de Meo in suo opere inscripto: *Apparato cronologico, Cap. V. articolo VIII*. falsitatis notam inusserunt. At

perperam, ut nobis videtur. Etenim negat Franchius vel Richardum, vel quemquam alium ex Nortmannis Dynastis in suis diplomatis apud nos Francorum comitis titulum usurpasse. Quod quam ratione pro certo affirmari possit, prorsus ignoramus, cum in comperto sit pleraque horum dynastarum ac praesertim Comitis, de quo loquimur, diplomata temporis edacitate desperiisse: quae quidem diplomata si superessent omnia, non dubitamus quin Caroli errorem coarguerent. Id vero pro certo affirmare possumus, nempe Notarios, dum instrumenta condebant, hujusmodi titulo Richardum condecorasse, ut patet nedum ex instrumento an. 1070, quod in lucem protulimus vol. V. pag. 41, verum etiam ex duobus aliis instrumentis Monasterii s. Blasii Aversani, quae edidit Carolus Magliola in quadam sua dissertatione ad terrae Arpinatis, aliorumque Atellanorum Casalium, iura defendenda elucubrata, quorum in altero an. 1068, haec verba leguntur: *Anno octavo Comitatus Domini Riccardi gloriosi Francorum Comitis in Urbe Aversa*; in altero vero an. 1073, ita scriptum legitur: *Anno Comitatus domini Riccardi gloriosi Francorum Comitis in Urbe Aversa, et sextodecimo anno principatus eius Capuae*. Quin etiam cum Richardus in vetustis membranarum Principis titulo donabatur, non nisi *Princeps Francorum* appellabatur, ut id luculenter evincunt binae chartae per nos editae eodem vol. V. pagg. 63 et 65. Nec praetereundum nobis videtur fieri etiam potuisse, ut in urbe recens condita, cum regulus Nortmannus notarii opera pro cancellario uteretur in diplomatis conscribendis, ipse notarius eundem Richardo titulum tribuerit, quo eum in conficiendis instrumentis donabat.

Porro idem Franchius ait intelligi non posse, quo pacto Richardus Monasterio s. Laurentii Aversae posito Aedem cum Monasterio super Agnani lacum sitam concesserit, h. e. locum aeris corrupti ac pestiferi. Respondemus huic argumento parum roboris subesse nobis videri, cum accidere potuerit ut concessionis tempore aer saluber postea se corruerit. Vel ipse de Meo, qui hoc diploma $\nu\theta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ accusavit, ut infra dicemus, eiusmodi argumentum minus probavit.

Jam vero, ait Franchius, in diplomate, de quo loquimur, quamplurimi errores ac improprietates deprehenduntur, quae absunt ex caeteris Richardi diplomatis. Exempli gratia inibi legitur: *residente me Riccardo Comite*, quin locus denotetur, ubi Dynasta commorabatur cum diploma Aversano Monasterio impertiretur. Proxime sequuntur notae chronologicae, quae ad dominii sui annos tempusque, in quo diploma emissum fuit, significandum pertinent: qua quidem notae ex usu Richardi Curiae longe recedunt. Demum indictio VIII. et non VII. anno 1035 decurrebat. Heic mirari satis non possumus qui Franchium latuerit sribligo, qua medii aevi chartae passim defoedantur. Vide, sis, ut innumera alia monumenta praetereamus, aliud Richardi diploma a nobis editum Vol. V. pag. 23, et iisdem, quibus hoc, de quo edisserimus, diploma, soloecismis inquinatum deprehendes. Insuper his sermonis vitiis argumentum capi non posse ad diplomata falsitatis accusanda, Muratorius jam observavit, cum ait: *Minus periti in re diplomatica ex novo hoc exemplo intelligant, in autographis ipsis minimemque apocryphis diplomatibus, occurrere interdum notariorum sphalmata, ad quorum aspectum non continuo imposturae crimen est iniiciendum (Antiquitates Italicae Medii Aevi Dissert. VI.)*. Adde quod Franchius nimis errorum monstra exaggeravit; quin imo nonnulla diplomatis verba ut vitiosa taxavit, velut *residente me Riccardo Comite*, cum vel ipse de Meo tantum abest ut huiusmodi verba causaretur, ut ea nullo quidem vitio infecta autumaret. Ut autem ad illud accusationis caput gradum faciamus, nempe in diplomata consignatum non deprehendi locum, in quo ipsum datum fuit, animadvertimus hoc sane argumentum ad falsitatem diplomatis demonstrandam nihil prorsus apud nos valere. Enimvero longum diplomatum vel nostrorum Dynastarum qui ante regni incunabula imperitarunt, indicem attexere possemus, quorum veritas a nemine adhuc in dubium revocata est; attamen in eis locus, ubi data fuerunt, consignatus minime legitur. Sat erit meminisse diplomatis ejusdem Richardi anno 1060 conscripti, atque a nobis editi, ut supra diximus, vol. V. pag. 23: nam in ipso quoque locus, quo datum fuit, adscriptus non occurrit. Quod minime mirum cuiquam videri debet. Patet enim ex historia tunc temporis Dynastas bello et armis operam vel maxime dedisse, ac proinde eorum Curias constanti ratione caruisse in diplomatis solemnitatibus et formulis muniendis: quam quidem constantem rationem per ea tempora duxtaxat deprehendimus, quibus regibus nostris certa ac stabili Curia uti licuit. Quod vero attinet ad notas chronologicas, quae occurrunt in eo, de quo edisserimus, monumento, dicimus Richardi diplomata pervolutanti in oculos statim incurrere nullum hunc Principem fixum habuisse canonem in hujusmodi notis suis diplomatis allinendis. Et re quidem vera potestne inusitatio fingi vel excogitari ratio epochas signandi, quam ea quae occurrit in Richardi diplomate an. 1060, supra a nobis memorato? Inibi legitur: *Facta est donacio Kalendis Mai in illo anno, quo obiit Henricus Rex Gallie Philipo filio eius in regno illi succedente, atque Nicholao Papa Romane Ecclesie presidente*. Postremo de indictione VII, quae in annum 1053 non convenit, Franchius non hoc quoque argumento ad diplomatis veracitatem convellendum usus esset, si paullum attendisset annum qui

in eo consignatus deprehenditur, Pisanum esse, ideoque indictionem VII, ex ea annos supputandi ratione decurrisse.

At, urget Franchius, cum anno 1033 Richardus Aversam tantummodo possederit, a Leone Ostiense *Oppidulum* vocatam, titulos qui in membrana leguntur, videlicet *Comite, Ligurie, Campania Dominone*, usurpare minime poterat; etenim sciunt omnes ab anno 1038, ipsum ea loca suo imperio adiecisse. Insuper in cunctis diplomatis, vel chartis per ea tempora conscriptis numquam legitur Richardum hujusmodi titulis fuisse usum, sed Capuae Principis titulum solummodo adhibuisse, addito deinceps Caietae Principis titulo; postquam scilicet ea sit urbe potitus. Hae Franchii reprehensiones, sat scimus, cassae concident, si modo animadvertamus Nortmannos Dynastas titulos ἀξιολόγους nimium in deliciis habuisse, ac Notarios plena manu in Principes hujusmodi titulos contulisse. Proinde quid mirum si Richardus *Comitis Liguriae* titulum in diplomate, de quo verba facimus, usurparit, cum Aversae tantum, quae Liburiae erat contributa, dominaretur? Jam vero si ita argumentari libeat, cuncta, quotquot sunt, Rogarii regis diplomata falsa erunt, in quibus nostrae μοναρχίας fundator *Italiae Rex* appellatur, dum extremae hujus tantum Italicae peninsulae gubernaculo adsideret. At Franchio danda est venia, si haec non viderit; nam causae, quam defendendam susceperat, inservire debuit. Secus non falsitatis idem diploma arguisset, quod utpote genuinum protulerat in sua diatriba, quam de origine, situ ac territorio Neapolitano elucubravit, ac Neapoli edidit anno 1754. Quod vero ad verba *Campanie dominone* attinet, Franchius perperam ea descripsit; nam diplomatis exemplum quod in nostro Archivo adservatur, habet *Campanie dominate*. Adde doctissimi Muratorii auctoritatem, qui ipsum diploma evulgavit, ac verba, de quibus loquimur, non aliter ac nos expressit (*Antiquitates Italicae Medii Aevi. vol. Dissert. LXVIII.*) At Franchio paullisper concedamus suam lectionem rectam esse. Quid tum inde? Profecto verbum *dominone* non, ut explicat Franchius, idem esset ac *dominatore*, perinde quasi Richardus Campaniae dominatoris titulum sibi adscivisset, cum Aversae solummodo imperaret; sed nota quedam compendiaria esset pro *dominatione*, ad significandum scilicet Liburiam Campano territorio esse contributam, ubi Capuani Principes auctoritatem exercebant suam. Postremo frustra in hoc diplomate quaeritur a Franchi Capuani Principis titulus, propterea quod Richardus eum sibi adsciscere coepit, cum ad Capuae dominationem adrepsit: quod nonnisi anno 1039 accidisse pro explorato est habendum.

Sed pergamus Franchii praeaeque vestigia premere. Richardi, inquit, subscriptio rationi, quam usurpat in se genuinis diplomatis subscribendo, non respondet. Etenim cruciforme monogramma ipsum adhibuisse constat, quo nempe litterae, quae eius nomen efficiunt, continebantur ex consuetudine nimirum Capuanorum Principum. Quapropter subscriptio: *Ego Richardus Comes subscripsi*, dum in illius Curiae usum non convenit, in hac tantummodo charta deprehenditur. Nullo negotio huiusmodi accusatio diffilabitur. Nam vel si demus Richardum monogramma cruciforme usurpasse in suis subscriptionibus, non continuo dicendum erit id semper ac immutabiliter in more habuisse. Confer quod toties memoravimus eiusdem Richardi diploma an. 1060, atque argumentum luce meridiana clarius invenies, Richardum se quandoque in diplomatis suo nomine subscripsisse: inibi enim subscriptio minio express sic legitur: *Riccardus Princeps*.

Denique, obicit Franchius, Aedes Divi Laurentii, de qua in diplomate mentio habetur, hujusmodi titulo fuit insignita, postquam Richardus ipsum diploma impertivit. Nam antea s. Agathae Templum vocitabatur, atque medico Carthaginensi Constantino Africano fuit per Richardum donata. Porro cum Constantinus s. Benedicti regulam esset professus, quod diu post tempus quo diploma fuit exaratum accidit, Casinensibus monachis eandem concessit, et tunc temporis nomen s. Agathae cum s. Laurentii nomine commutavit. Verum hic (clarissimi viri pace dixerimus) Franchius s. Agathae Templum s. Laurentii templo confudit, autumans unam eandemque Aedem fuisse, cum revera duae inter se distinctae fuerint: immo vel post hanc epocham s. Agathae Aedes hujusmodi nomen retinuit. Ipse Alexander de Meo, cuius objecta in hoc diploma mox producemus, simulque refellemus. tum postremum hoc Franchii argumentum, tum caetera, quae supra memoravimus, parum habere roboris opinatus est, cum de iis scriptum reliquit: *Si accinse il dotto D. Carlo di Franco a convincerlo d'impostura diploma, de quo agimus; ma con ragioni non concludenti. Vide locum supra citatum.*

Sed, age, ad argumenta, quibus de Meo diplomatis veritatem convellere admissus est veniamus. Fieri non potest ex hujus scriptoris sententia, ut Richardus tot oppida, pagosque possederit, quot s. Laurentii Monasterio donasse deprehenditur, cum si ita foret, dicendum esset maximam Ducatus Neapolitani partem, in Richardi ditone fuisse. Respondemus Neapolitani Ducatus limites numquam extra urbis moenia se protendisse. Neapolitani vero etsi anno 830, Liburiae partem insedissent, ac porro anno 880, foedus cum saracenis ineuntes agrum occupassent, qui ad Capuam Veteram usque extendebatur, nihilominus anno 888 Langobardi qui Capuae dominabantur, Saracenorum copiis fuis ac profligatis,

Neapolitanos in propria moenia redegerunt, totumque Liburiae campum usque ad Neapolitana moenia in sua rursus habuerunt potestate Confer Erchemperti historiam (*pag. 74, et seqq.*) qui haec omnia dilucide enarrat. Ex tempore autem diplomatis, de quo tamdiu loquimur, ad XI saeculi finem nullibi legimus Neapolitanos Duces ex parte, quae Aversam attingebat, terras extra urbis nostrae moenia possedissee: quod vel ex chartis per ea tempora exaratis demonstratur, in quibus cum de rebus agatur ad territorium pertinentibus, quod extra Neapolim explicabatur, numquam Ducum nomen legitur: propterea quod nullum in eas imperium exercebant. Sat erit quatuor huiusmodi chartas memorare a Magliola productas in dissertatione, quam supra citavimus. In earum altera an. 1030, quae donationem quorundam bonorum inter Aversam ac Neapolim extantium Monasterio s. Blasii Aversano factam continet, sic legitur: *Anno ab incarnatione millesimus quinquagesimus regnante venerabile viro Henrico Theutonico III. Augustus. Sub eius tempore jam olim anno vigesimo residente gens Normannorum Liguriam per urbem Aversam. Anno 4 cum esset in Comitatu Herimanno puerulo, et primo anno Domino Riccardo Comiti eius avunculo.* Occidentis Imperatoris nomen in ea consignatur ratione *investiturae*; Comitis vero Aversae nomen, eo quod in eadem Civitate ipse imperitaret. At Ducis Neapolitani nomen abest, quod fieri non potuisset, si Neapolitanus Ducatus vel minimam extra sua moenia jurisdictionem exercuisset. In altera vero charta an. 1068, donatio legitur eidem monasterio facta cuiusdam territorii, quod parum aberat a *villa Cerbano* (h. e. non longe a vicis vulgo dictis *Trentola ac Parente*, et sola inibi Comitis Richardi intitulatio deprehenditur. Ita enim ait: *Anno VIII. Comitatus Domini Richardi gloriosi Francorum Comitis in urbe Aversa, et anno XI. Principatus eius Capuae. Ideoque ego Aldoinus ex genere Francie, qui dicitur de Conoma, unus ex militibus Aversane Urbis, quod est in Liguria tellus, videtur habere causa Fegus beneficii a parte ipsius prenominati ipsius Principatus, sicut mos Francorum est his regionibus.* Idem dicendum de tertia charta an. 1073, qua Herimannus Francus terrae fragmentum *donat in loco ubi dicitur Poczanese non longe a villa qui dicitur Piro* hodie forsitan *Casapuzzano*), et in qua solum Richardi Comitis nomen occurrit. Sic enim incipit: *Anno Comitatus domini Riccardi gloriosi Francorum Comitis in Urbe Aversa, et XVI. Principatus eius Capuae.* Postremo eadem quidem ratione Richardus tantummodo memoratur in charta an. 1073, in qua de rebus agitur, quae ad territorium extra Neapolim situm pertinebant. *Anno*, ibi legitur, *Comitatus Domini Riccardi gloriosi Francorum Comitis in Urbe Averse, et sextodecimo anno Principatus eius Capuae etc. Ideoque ego Raynaldo, cui supranomen de Argentia Franco, qui sum unus de militibus de Aversa, videtur me habere terras, sua mansionibus in istis Liguria partibus, sicut mos Francorum est, et pro partibus nostre militie, multum in hoc seculo Dei dona gaudere.* Pratillus quoque in diatriba *de Liburia* (*tom. III. pagg. 261 et 262*), chartam an. 1089, in medium affert, qua Richardus auctoritate qua fungebantur, quin Neapolitani Duces in ea nominetur, confirmat Monasterio s. Blasii concessionem bonorum extantium in *Aversa, Capua, Atella Vetere, et in castris Volturense et Patriense, et in Gualdo de partibus militiae et in tota nostra terra principatus Laborie et Averse.*

At pergat de Meo, dicens tantum ex hoc monumento notitiam erui cuiusdam Monasterii S. Archangeli *di Terradiano nelle parti di Napoli fuora la grotta nel monte, ch'è super amne, qui vocatur Anglane.* Id quidem viro docto excidisse nollemus, cum ignorare minime debuisset eo pretiosora esse vetera monumenta, quo praestantiores notitias praebent ad historiae peculium amplificandum. Et re quidem vera, si earum duxtaxat chartarum ratio habenda esset, quibus res protritae ac vulgares consignantur, historia careret exquisitissimis iis notitiis, quas acceptas referimus antiquis monumentis, quae sola ex tot aliis temporis edacitate deperditis adhuc aetatem ferunt. Exemplo sint Baronius, Pagius, Ughellus, Muratorius, Mabillonius, Montfauconius, totque alii seduli antiquitatum scutatores, qui vel unius monumenti ope tum errores emendarunt, qui historiam, chronologiam, geographiam defoedabant, tum veritates quasdam, quae constabiliri nondum poterant, bono in lumine collocarunt.

Verum, ait idem adversarius, nostrum diploma datum conspicitur altero a Leonis IX obitu mense, cum tertius adscribi mensis debuisset. Respondemus Leonem Pontificem XIII Calendas Maii an. 1034 decessisse, proindeque pridie Calendas Junii ejusdem anni secundum ab eius interitu mensem numerari, uti in diplomatis calce recte legitur.

Nec plus roboris inest scriptoris nostri verbis, cum ait se aliud Richardi spurium diploma (nec quodnam huiusmodi diploma sit, adhuc scire potuimus) invenisse pro S. Laurentii Monasterio eodem exemplo et stylo exaratum ac illud, in cuius veritate asserenda iamdiu adlaboramus. At si diploma, de quo loquitur adversarius, eo tantum nomine ab eo spurium iudicatur, quod eandem prae se ferat sermonis sribliginem, continentiam ac tenorem, quae in diplomate, de quo disputamus, observantur, piget nos virum doctum in apertam, uti dialectici aiunt, *principii petitionem* incidisse, cum id potius demonstrare

debuisset errorum monstra, quae in monumentis per inferiora saecula conscriptis deprehenduntur, validum ad ea falsitatis coarguenda argumentum praebere.

Postremo mera Alexandri de Meo hallucinatio est argumentum, quo ad extremum utitur ad opinionem suam magis constabiliendam. Ait enim nonnullas alias S. Blasii Monasterii chartas chronologicis scaterere erroribus, cum in iis mense octobri an. 1055 Richardi Comitatus annus sextus adscribatur. At quis non videt chronologiam in huiusmodi chartis recte procedere, cum vel ipse adversarius affirmet Richardum post Junium mensem an. 1050 Aversae Comitem evasisse? Ergo octobri anni 1053 sextus Richardi Comitatus annus in charta non male consignatur. Idem dicendum de altera charta ejusdem Comitis mensis Martii an. 1062, in qua ex eiusdem de Meo supputationibus recte adscribitur duodecimus Comitatus annus, qui post Junium anni 1061 decurrere coeperat. Vides igitur tantum abesse ut chartae, quas de Meo produxit, diplomatis nostri falsitatem arguant, ut ex eo omnem prorsus *voθείας* suspicionem amoliantur.

Quae cum ita sint, pro certo habemus Alexandrum de Meo, si patrium hoc Richardi Aversani Comitis monumentum attente perpendisset, numquam affirmate fuisse dictorum se ex tot chartis ad S. Laurentii Monasterium Aversae situm pertinentibus, ac a Muratorio aliisque scriptoribus in dias luminis auras productis nullam invenire potuisse, quae falsitatis vitio careret: cui quidem adversarii sententiae nos minime assentiri possumus tum clarissimorum scriptorum auctoritate, qui prorsus aliud de iis chartis iudicium tulerunt, tum iis rationibus permoti, quas supra protulimus. Et de hoc Richardi diplomate satis.

(A) 31 maggio